

**Dissertatio medica inauguralis sistens affectum spasmodico
hypochondriacum inveteratum. Von einer eingewurzelten
hypochondrischen Kranckheit ... / [Johann Heinrich von Sanden].**

Contributors

Sanden, Johann Heinrich von, 1709-1759.

Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.

Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christ. Hilligeri, [1734]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c2kfwf4u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
SISTENS

AFFECTVM SPASMODICO
HYPOCHONDRIACVM
INVETERATVM

Von einer eingewurzelten hypochondrischen
Krankheit.

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA

CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

SVB PRÆSIDIO

N. FRIDERICI HOFFMANNI

ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORIS

ET h. t. DECANI

PRO GRADV DOCTORIS

MMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS

MORE MAIORVM RITE CAPESSENDIS

Ad d. Maji MDCCXXXIV.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

RESPONDENS AVCTOR

IOANNES HENRICVS VON SANDEN

REGIOMONT. BORVSSVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

DISSENTATIO MEDICA IN HONOREM
SISTENS

EFFECTVM SPASMODICI HYPOCHONDRIACVM IN VETERATVM

AVCTORE
FRIDERICO HOFFMANN

MDCCC

IN VENTU DIVINA GRATIA

CONSENSU AULICO ORDINIS MEDICI

SVB PREESIDIO

FRIDERICI HOFFMANN

ACADEMIE ET ORDINIS MEDICORVM SENIORIS

ET H. DECANI

PRO GRADVS DOCTORIS

AVCTORE IN AULICA HONORIS AC PRIVILEGII

MORE MAIORVM RITE CANDIDATVS

MDCCC

VARIO EXAMINATORVM EXAMINI

AVCTORE

FRIDERICO HOFFMANN

IOHANNES HENRICVS VON SANDER

MDCCC



PROOEMIUM.



Vod nec per eloquentiam, nec in cathedra curentur morbi, jam in vulgus adeo innotuit, ut risui prorsus habeantur nudi rhetores Medici, & sola cathedrarum mancipia, si ad ægrotantium lectum accedant: quid? quod inde etiam pervulgata Parœmia, bonos theoreticos i. e. solos speculatores, malos esse practicos, suam traxit originem. Hinc ea quoque medicinæ pars, quæ speciatim circa sanandas humani corporis ægritudines versatur, perquam adposite Clinica a Græcis appellata fuit; eo quod recta medendi methodus, si originem spectes, ab ipsis ægrotorum lectis potissimum accersi & debuit, & adhuc omnino debet. Ex tot vero, tamque innume-
ris qui mortalium sanitati periculosas struunt infi-

dias, morbis ii cumprimis Medici experientiam & eruditionem testantur, qui parvis gignuntur initiis, lentis adolefcunt incrementis, & magnis denique dirisque symptomatibus suam in corpus exercent tyrannidem, quos Græci chronicos vocarunt, nos longos. Hi enim solius naturæ beneficio, uti quidem de acutis læpius observare licet, rarissime quin nunquam fere solvuntur; tantum abest, ut medici auxilium utique requirant. Quam ob rem ex veterum jam numero COELIVS AVRELIVS, bonus imprimis auctor, in Præf. AD LIBROS PRACTICOS: CHRONICI, INQVIT, MORBI NEC FORTVNA NEC FAVENTE NATVRA SOLVUNTVR, SED MEDICI SOLIVS EXPOSCVNT PERITIAM ET DEXTERITATEM. Cum quo apprime consentit elegantissimus CORNELIVS CELSVS, dum *lib. III. Cap. I.* asserit: *Magis ignoscendum esse medico, parum in acutis proficienti, quam in longis. Id enim breve spatium esse, intra quod si auxilium non profuerit, ager extinguatur: ibi & deliberationi, & remediorum mutationi tempus patere, adeo ut raro, si inter initia medicus accesserit, obsequens ager illius vitio pereat.* Hunc in finem vero, ut scilicet morborum chronicorum indoles, quæ admodum est intricata, clarius pateat, & magis magisque innotescat; observationes & historias morborum Medici passim conscri-

scripsere celeberrimi: & utinam! illæ semper ita essent comparatæ, quales esse deberent, qualesque pro more suo egregie eruditeque describit *Illustris PRÆSES* in *Præf. ad Tom. 1. Consultat. & Respons. medic.* Ipse ille Vir de medica meritisimus arte, in lib. cit. pariter, ac eodem in lingua Germanica sub titulo *Medicinæ Consultatoriæ* edito, decemque tomis comprehenso, viam monstrat medicis, eosque summopere monet, ut ipsius exemplum sequentes per recensitionem morborum, quorum curatio ipsis fuit credita, incrementum artis salutaris promovere annitantur. Quantam vero utilitatem solæ morborum historiæ post se trahunt; tanta præfecto, & fere major rationali earundem resolutioni debetur. Quam ob causam placuit *Illustri PRÆSIDI*, ut pro argumento dissertationis inauguralis inveterati cujusdam morbi hypochondriaci spasmodici historiam, mihi explicandam elaborandamque daret. Nec me operæ pretium facturum dubitavi, si morbum illum, quantum per meas licebit vires, ita explana-rem, ut præmissa ejus historia, quævis momenta ad suas revocarem causas, earundem nexum ostenderem, & rationem denique medendi subjungerem. Quem laborem summus languorum nostrorum Medicus ex alto secundatum esse jubeat, supplex precor.

Historia morbi.

Illustris quidam Vir, quadraginta, & quod excurrit annorum, temperamenti sanguinei, animi alacrioris, habitus spongiosi, succorumque pleni, diæta in juventute lauta opiparaque usus, nec raro ejus regulas, maxime si potum spectes, ad excessum usque transgressus, bonam nihilo minus præ se tulit valetudinem. Quum autem per aliquot abhinc annos multis arduisque negotiis obrutus, omne fere tempus sedendo, meditandoque consumere, ex officii ratione coactus fuit: labescere quidem cœpit valetudo, ita tamen ut præter leviores molestias vix haberet, de quo conquereretur. Quapropter nihil infausti metuens, ante quatuor annos per mediam, eamque gelidissimam hyemem suscepit iter, levioribus duntaxat indutus vestimentis. Hinc vero tanto corpus affectum est frigore, ut domum redux non solum faciem, atro brunoque, qualis congelatorum est, colore tinctam exhiberet; verum etiam per secundam ab itinere noctem tantam spirandi difficultatem, & præcordiorum anxietatem incideret, qua lectum relinquere, & ab obambulatione spirationis libertatem anhelare cogebatur. Præterea caput veluti contritum videbatur, & visio pariter ac auditus sensim evanescebat: donec elapsis tribus quatuorve horis remitteret paulatim accessio, inque languorem ac debilitatem universi corporis finiretur. Sed eadem intra trium circiter dierum spatium, quater adhuc iisdem symptomatibus stipata rediit, illustremque virum lecto prorsus affixit: quo transacto, melius se habuit, solitisque rursus defungi potuit negotiis. Verum breve sanitatis fuit intervallum: continuus enim immer-

mersus meditationibus, recensito paroxysmo sæpius, mox longiori mox breviori corripiebatur, quem sensim capitis debilitas, pertinax alvi adstrictio, flatuumque molesta retentio comitabantur. Flatus circa dextrum maxime hypochondrium fixam obtinebant sedem; quorum præsentiam significaturus æger, dicebat: **Es gäbe ihm rechte Stöße, und pumpte ihm in der rechten Seite.** Consultus Medicus ad expugnandum malum commendavit clysteres emollientes & nervinos, iisque frustra infusis, illustrem virum fonte Egrano, cum dimidia lactis vaccini parte remixto, mane non secus ac sumtis epulis integram mensuram sorbillando, per quatuordecim dies uti iussit. At vero, nec hoc remedio votis respondente, ad clysmata rursus ventum, simulque remediis urinam & transpirationem promoventibus pugnatum est: unde dissipatis egregie flatibus, ac alvi laxitate recuperata, cunctorum symptomatum conquievit ferocia. Quod restitit curationis, supplere putarunt medici per repetitam aquarum Egranarum ad ipsam scatebram potum. Annuit eorum consiliis æger, atque præcedentis anni Augusto mense ad dictas profectus acidulas, iisque, aucta sensim aquæ quantitate, donec ad quinque omnino mensuras quotidie potandas pervenerit, per quatuordecim rursus est usus dies. Inde alvus magna cum vehementia movebatur, adeo ut sub finem potationis filamenta quædam abra sæ villosæ tunicæ intestinorum haud absimilia simul excernerentur. Factum hinc est, ut paroxysmi supra descripti & rariores, & mitiores infestarent; sed nova malorum iis succrevit cohors. Namque præter atroces, assiduasque cardialgias omni mane vehementissimi vomendi co-

natus.

natus urgebant; infusum herbæ thee, quod antea optime ferre poterat, molestam creabat nauseam; decocta utut levissima reddebantur statim vomitu, & laxans mannatum, quod esse solet lenissimum, supra & infra copiosam exturbabat saburram. Ad hæc sui officii sponte nunquam reminiscebatur alvus; tantum aberat, ut per sex quin & octo sæpenumero dies, cum flatulentia intestinorum inflatione, esset compressa. Sumpto vel modico vini haustu, vel etiam cerevisia pota, insignes sequebantur sanguinis ebullitiones; quæ matutino potissimum tempore post prævium vaporis cujusdam sursum ascendentis, & instar aquæ calidæ fluctuantis sensum, gravius invadebant, atque majorem spirandi angustiam, & præcordiorum anxietatem inferebant: plerumque vero adhibita pulvilli antispasmodici dosi, & hinc secuta auctiori corporis perspiratione, nec non insigni languore, paululum consopiebantur. Somnum capiebat valde turbulentum, anxiusque & terrificis insomniis stipatum, adeo ut expergefactus mane protinus in magnum mœrorem & tristitiam incideret, eique præter consuetudinem nimis indulgeret. Non minus ad præcipitem iracundiam, cum totius corporis tremore junctam admodum propendebat: & cum primis hæc molestias post corporis refrigerationem, graviores persentiscebatur. Continuatis nihilo secius mentis laboribus, plura sensim jungebantur symptomata: siquidem nocturno tempore febriles accedebant motus, cum extremarum refrigeratione pulsu contracto incipientes; capitisque imbecillitas tanta sumebat incrementa, ut ad terram inclinato, vel pulvinari paululum agitato, æger illico animi deliquiis proximus videretur. Quæ cuncta

Et mala, usurpatis subinde nervinis, caputque roborantibus medicinis remittebant quidem aliquantulum, at prorsus extirpari haud poterant. Illis potius associa-
bant sese ingens dextri brachii dolor, ad scapulam & cubitum usque protensus, nec non cervicem interdum & tempora occupans, ac pulsatilis sensus, vehemens-
que auris dextræ susurrus: sed hæc omnia detractis e vena sanguinis crassi & visceridi unciis octo multum miti-
gabantur. Et hic erat rerum status, in quo vir illustr. degebat, cum *Illustris PRÆSIDIS* consilium per litteras desideraret: quem nos pro viribus jam perscrutemur, ejusque causas, ac rationalem therapiam indagabimus.

§. I.

Ipsum igitur opus aggressurus, ante omnia, quod enarrato malo imponi debeat nomen perquiram. Esse illud e genere morborum hypochondriaco-
corum cuncta docent symptomata. Possem er-
go de passione hypochondriaca quædam præfari, ejus-
que indolem describere; quo deinceps præsentis affe-
ctionis ratio innotescat clarius: sed metuo ne partim acta agerem: partim limites dissertationis transgrede-
rer. Quapropter generalem istius passionis tracta-
tionem omittam, idque eo lubentius, quum ean-
dem ab *Illustr. PRÆSIDE* in *Med. Rat. system. Tom. IV. part. III. Sect. I. cap. VI.* tam ample, tamque per-
spicue explanatam vidi, ut vix superesse videatur, quod addi queat. Ex iis duntaxat decerpam, & applicabo ad præsentem casum, quæ illius explicationi necessaria duxi.

§. II.

Quum vero præsentem affectum voco hypochondriacum : vel tacitus concedo, quod sit affectus spasmodico flatulentus ventriculi & intestinorum, qui a perverso & labefactato eorundem motu, quem peristalticum vocant, natales mutuatur, & totum subinde nervosarum partium systema in motionum irregularium societatem rapit. Verum quoniam bene scribit, qui bene distinguit; haud a vero me aberraturum confido, si hypochondriacam passionem in recentem, inveteratam, & confirmatam dividam. Recentem dico, ubi symptomatum cohors in solo alimentorum canale & abdomine sese exferit, nec alias adhuc partes in consensum trahit. Inveteratam dico, quæ præter abdominis vitia, totius corporis afflictiones habet comites, functiones animales turbat, & nervosi generis debilitate nititur. Confirmatam denique adpello, ubi partes dictas molestias visceris cujusdam immedicabilis læsio jam invaluit, veluti sunt infarctus, scirrhi, obstructions viscerum, extravasationes humorum &c. Quæ si ad præsentem casum adplicuero; illum rectissime morbum hypochondriacum inveteratum adpellari debere, vel exinde colligo, quod universo corpori morbosa inhærescant symptomata. Sic enim 1) in abdomine cardialgia, nausea vomendi conatus, vomitus, alvi obstructio, flatulenta intestinorum distensio. 2) In pectore spirandi difficultas, præcordiorum anxietates. 3) In capite ejus nimia imbecillitas, aurium fusurrus, somnus turbulentus, atque terriculamentis plenus, propensio ad mœrorem, tristitiam, iracundiam, 4) In toto corpore dextri brachii dolor, ebullitiones sanguinis, horripilationes, motus febriles, tremores &c. occurrunt.

§. III.

§. III.

Cognito nomine, sedes mali inquirenda. Hanc in hypochondriacis affectibus in liene pariter ac hepate, falso collocari; demonstravit jam *Excell. PRÆS. cit. lib. §. VII-IX.* consentientibus *Sylvio, Hæfero, Höehstadero &c.* In nostro affectu hepar cum primis acculari posset, eo quod *Illustr. æger* de molesto circa ipsius regionem sensu conquestus fuit: *Es gäbe ihm rechte Stöße, und pumpte ihm in der rechten Seite.* Non negaverim, quin hypochondriacis tam lienis, quam hepatis sæpe numero superveniat infarctus, sed in confirmato potissimum id observari malo, communis medicorum testatur experientia. Quum autem in præsentī casu, statim ab initio perceperit æger molestum illum in dextro hypochondrio sensum: facile patet, illius quoque non secus ac omnium morborum hypochondriacorum sedem, in toto intestinorum volumine, & speciatim intestino colo quærendam esse: quippe quod præ aliis in dictis morbis affici, testatus est *Illustr. PRÆSES Consult. Medic. Tom. II. Sect. IV. Cas. CLXXVIII. pag. 723.* Hoc enim intestinum in utroque hypochondrio sub spuriis costis situm deprehenditur, ibidemque multas exhibet flexuras; quibus incarcerati flatus distendunt nerveas sensibilesque tunicas, earum acutum pariunt dolorem, tumorem exhibent exterius sæpenumero conspicuum, moventur, ac fluctuant hinc inde, & sic sensum illum quem sub nomine *des Stossens und Pumpens* exprimunt, causantur.

§. IV.

Causa proxima, & principalis, ex qua omnes reliquæ afflictiones uberrimo propullulant proventu, sicut

omnis mali hypochondriaci, ita & nostri non alia est, quam motus peristaltici, quo ventriculus & intestina gaudent, quo etiam recte se habente functiones ipsis proprias, ciborum digestionem, generosi chyli elaborationem fæcumque per anum eliminationem legitime peragunt, recessio a statu naturali. Omnes vero partium solidarum motus recedunt a suo naturali statu, dum vel nimis intenduntur, vel nimis relaxantur: priori modo spasmus, posteriori atonia resultat. Vtrumque vitium contingit in passione hypochondriaca: namque intestinorum & spasmus & atonia simul adsunt. Absurdum videtur, contraria in uno subiecto eodem tempore statuere: sed notari meretur, non in uno loco utraque simul adesse vitia sed excipiunt potius se invicem & alternant adeo, ut in uno intestinorum loco præsto sit pertinacissima constrictio; in altero occurrat relaxatio, & a flatibus facta distensio.

§. V.

Hæc causa proxima est mali hypochondriaci, magis tamen recentis; & fit remotior, si illud transeat in inveteratum. Cujus generis cum præsens sit affectus, dispiciendum porro, quam tanquam malum inveteratum, habeat proximiorē causam, explicandis omnibus symptomatibus opportunam. Et hanc in magno universi generis nervosi debilitate collocandam esse censeo. Per nervosum genus denoto omnes nervosas membranaceas, & vasculosas totius corporis partes: per harum vero debilitatem significo eam particularum minimarum, quæ fibræ ultimam constituunt cohæsionem, qua illæ ex levissimo ac vix naturali majori vel fluidorum impulsu, vel alio quodam per animi affectus induto impetu in præternaturalem ac violentam compellun-

luntur agitationem vid. *Illustr. PRÆS. Med. System. Tom. IV. P. III. Sect. I. cap. III. §. IX.* Hinc vero nervosi generis debilitas nihil aliud est, quam ea omnium nervearum, membranacearum ac vasculosarum in toto corpore structura, qua ex causa levissima in præternaturalem agi possunt motionem. Cum primis hanc debilitatem in præsentī casu insigniorem esse in partibus nervosis quæ sunt in capite, ex infra dicendis clarius patebit. Jam videntum, num ex his allegatis causis ratio symptomatum, quæ ægrotantem nostrum excruciant, possit derivari.

§. VI.

Si igitur primum perversus ac labefactatus est intestinorum tonus, eorundem quoque functiones læsas oportet esse. Ciborum nimirum digestio non rite fieri, nec legitimus præparari potest chylus: hinc generari debent sordes & viscidæ, & ob concursum bilis, succique pancreatici acriores; quæ languente peristalsi, proscribi debite nequeunt. Ergo subsistunt in plicis, in flexuris intestinorum, stagnatione hac & diuturniori mora acres redduntur acriores, viscidæ dehiscunt in vapores. Inde patet in nostro casu 1) *generatio copiosorum flatuum* colon præcipue in dextro hypochondrio distendentium. Acriores porro cruditates vellicant nerveam ventriculi & intestinorum tunicam, adeoque pariunt horum spasmos ac dolores; speciatim in nostro casu 2) *Cardialgiam*, quæ est orificiorum ventriculi speciatim dextri, quod audit pylorus, dolor. 3) *Vomendi conatus & nauseam*, quæ est spasmodica tunicarum ventriculi & œsophagi constrictio. Hæc symptomata ab acido stimulante provenire vel ex eo cognoscitur, quod matutino potissimum adfligant tempore: tum enim per-

acta ciborum concoctione, concentratius in ventriculo restare solet acidum, quod sæpenumero assumtis cibis infringi deprehenditur, cum momentanea nausæ & cardialgiæ cessatione. Præterea languente intestinorum tono suboritur 4) alui segnities; siquidem sordes lente adhærentes nec abstergi rite nec propelli queunt: accedit spasmodica intestinorum inferiorum, recti potissimum constrictio, quæ nec flatibus, multo minus fæcibus permittit transitum. Flatus ergo regurgitant ad superiora, spatium, in quo sese queant expandere affectantes: unde derivanda *intestinorum inflatio*.

§. VII.

In tali rerum intestinorumque statu chylus gignitur crudus, & talis quoque ingreditur patentia vasorum lacteorum oscula. Ex crudo chylo generatur partim sanguis spissus ac viscidus; hinc 5) *ille quem æger illustris ex vena sibi detrahendum curavit ater fuit & viscidus*; partim lymphæ terrestrior, & ad nutriendum minus opportuna; partim nerveum fluidum ad sensus & motus præstandos nimium iners; quin omnes totius corporis succi a benignitate naturali recedunt. Iam vero notum est, omnes solidas corporis nostri partes ob perpetuum motum, sensim atteri, & ideo nova succi nutritii appositione semper nutriri debere. Quod si autem lymphæ nutritia fuerit justo terrestrior, ejus particulæ, leviori tantum & laxiori connectuntur cohæsione, hinc progenerant fibras, nervos, membranas debiliores, & sic oboritur generis nervosi debilitas. Sic patet una causa debilitatis; altera dependet a defectu liquidi nervei spirituosissimi: quod robur atque tonum sufficienti suo influxu partibus præstare debet solidis. Et ex his clarissime con-

conspici poterit, quomodo passio hypochondriaca inveterata ex simplici & recentiori progeneretur.

§. VIII.

Quibus expositis, ad explicanda quæ restant in præfenti casu transibo symptomata. Dum spasmi per intestinorum canalem sæviunt; dum ipsa intestina, maxime colon, a flatibus præter naturam sunt expansa, comprimuntur iis subiecta & intermixta vasa sanguifera, cruore turgida. Hic ergo majori copia ad superiora, pectus nimirum atque caput tendit: pulmones quantitate æquilibrium aeris excedente ingressus expandit, liberum aeris in eorum cellulas introitum remoratur, & tali ratione producit 6) *spirandi difficultatem & præcordiorum anxietatem*. In promptu quoque est ratio cur hæc in nostro ægrotante matutino potissimum fiant tempore: Cum enim acida ventriculi saburra tum concentratior cardialgicos producit spasmos; non mirum, compressis inde sanguiferis vasis, humores ascendere, ac ægro 7) sensum vaporis calidi ascendentis cum insequente spirandi angustia ac majori anxietate stipatum exhibere. Ex pectore copiosius ruunt succi ad caput, magis in præfenti casu, quam reliquas partes, ob causas infra recensendas, debilitatum. Quo autem angustiores sunt viæ ductusque, per quos in capite circulari debeat, eo difficilior sanguinis per eos progressus. Hinc explicandæ functionum animalium perturbationes; & nominatim 8) somni turbulenti, atque 9) propensionis ad perpetuum mœrorem ac iracundiam. Utrumque symptoma, ut & labefactatam omnium sensuum integritatem enim irregulari ac difficiliore sanguinis per caput circulo deberi, vel exinde patet, quod eo restituto, mens ad pristinam

nam redeat alacritatem. Quum porro sanguis crassus per vasa sanguifera membranas, quæ internas osseasque organi auditorii partes ambit, perreptantia, difficiliter progrediatur; serum stagnando resolvitur in vapores, qui in tympano meatus auditorii majoris ac foraminis pariter ovalis tinnientem & susurrantem exhibent sensationem; unde 10) susurrus dextræ auris derivandus.

§. IX.

Debetur denique quædam animadversio plexui mesenterico magno, qui ex intercostali ramo, & pari vago constituitur, & ab arteria mesenterica ejusque ramificationibus veluti circumvallatus cingitur. Qui si a dictis vasis, cruore distentis, non secus ac intestinis per flatus expansis comprimitur: illico spasmus concipit, eumque non solum cum nervosis ramificationibus, quas per intestinorum canalem distribuit; verum etiam cum nervosis universi corporis partibus, quibus cum vi paris vagi & intercostalis rami arctissimum alit consensum, communicat. Hinc in nostro speciatim propullulavit 11) dolor brachii dextri, 12) *dextrique capitis lateris quasi hemicranicus*: nec mireris, quod dextrum tantummodo latus afficiatur, quoniam in eo potissimum hypochondrio flatulenta coli distentio, & hinc major nervorum compressio in nostro casu locum habuit. Inde quoque dependet 13) corticis cutanei constrictio, & eam insequens horripilatio: ea autem relaxata, celeriori impetu spissi humores in vasa cutanea irruerant, adeo effecerunt 14) ebullitiones: Has denique sola vini vel etiam cerevisiæ potatio inducere potuit: quoniam ea subjecta, quæ vel parum spirituosæ continent, in tanta motuum anomalia, humores commovere valent: quod vel ille casus, quem

Illustr. PRÆS. Consult. Medic. Tom. I. sect. I. Cas. XI. allegat. testat ubi æger hæmoptisi obnoxius pag. 44. refert se ex potu cerevisiæ novam protinus sanguinis e pulmonibus eruptionem fuisse passum.

§. X.

His præmissis jam perscrutandæ sunt causæ quæ in ægrotante nostro ad tam dirum contribuerunt malum. Et quamvis earum plures dentur; speciatim tamen in præsentī casu ad sanguinis intra vasa intestinorum stagnationem esse respiciendum, multa sunt quæ svadent momenta. Humorum autem stagnatio facillime inducitur partim ab illorum nimia abundantia partim a relaxatione continentium sive solidarum partium. Nec ullus in corpore locus est, in quo stagnare facilius posset sanguis, quam intestina. Hæc enim nitra tunicas fovent venas meseraicas, quæ contentum sanguinem revehunt in portarum venam, ex quo fertur intra hepatis viscus. Vena hæc dum sanguinem in hepar effundit, arteriæ fungitur munere; attamen & pulsu caret, & valvulis destituitur. Unde in statu quoque naturali difficilior sanguinis per hepar quam per alia viscera observatur circuitus; qui aucta præter naturam humorum mole, longe difficilior evadit. Hinc vero regurgitationes meseraicas, intestina perreptantes succi, eas ultra elasticitatis sphæram distendunt, relaxant, & sic atoniæ pariter ac spasmō, qui sequitur vasorum repletionem, foecundam præbent occasionem: eo magis si eæ concurrant causæ, quæ per se tonum intestinorum reddunt languidiorem.

§. XI.

Jam vero in nostro casu multa deprehendimus momenta, quæ ad ingenerandam sanguinis abundantiam contribuerunt. Ex iis sunt 1) *ipsa ægrotantis ætas*, quæ

annum quadragesimum emensa est: illi enim succi qui junioribus ad incrementum corporis consumuntur, adultioribus, absoluto corporis augmento, magis cumulati, morborum fiunt fontes. 2) *Temperamentum sanguineum*, habitusque succi plenus: in hisce scilicet hominibus vasa sanguifera copiosa sunt, sed simul exiliora, fibræ vero & partes solidæ molles magis & spongiosæ unde minor sanguini est resistentia, quam in corporibus, quæ strictum præ se ferunt habitum; hinc facilius cumulatur sanguis, atque facilius vim solidarum labefactat. 3) *Dieta lauta ac opipara*, & hæc est fœcunda plethoræ mater: nam si cibi boni succi, nutrimentique, ultra proportionem motus corporis assumuntur; non fieri potest, quin inde plus generetur sanguinis quam sanitatis ratio requirit. 4) *Intermissæ* forsitan *sanguinis missiones*; quarum nulla in morbi historia fit mentio: cum tamen in ea recenseatur, ægrum a venæsectione semel instituta insigne reportasse allevamentum.

§. XII.

Quemadmodum hæ causæ, plus sanguinis quam par est, ingenerando, eminus ad malum hypochondriacum in nostro disposuerunt ægrotante ita sunt adhuc quædam, quæ non solum sanguinis abundantia producendæ nimium faverunt; verum etiam ipsum intestinorum tonum labefactando, ad id mali genus contribuerunt. Harum ex classe occurrunt 1) *excessus in potu*: qui sicuti partior, augendo humorum spissitudinem hypochondriacis infensus est, ita largior, & ad erapulam usque sumtus, nimia humiditate expandit, relaxatque tunicas intestinorum, unde quoque helluonibus propriam esse ventriculi debilitatem, & adpetitus imminutionem

nem animadvertimus. 2) *Vita sedentaria.* Quemadmodum motus corporis insignem vim obtinet, robur partium nervosarum, fibrosarum & musculosarum in naturali vigore conservandi, confirmandique, & hanc ob causam humorum circulationem promovendi, ita hoc intermisso, crescenteque succorum copia, prostermitur partium solidarum elater, humores non satis vegete circumaguntur, spissi fiunt, & hinc plerumque otio immergis familiare est malum hypochondriacum. Eo magis atque facilius id vitii in præsenti casu evenire debuit, cum accesserunt 3) *nimiae meditationes ac lucubrationes:* quibus non ventriculi & intestinorum modo, verum totius nervosi generis maxime capitis vim insigniter prosterni ex quotidiana discimus experientia. Et hisce causis in Viro Illustri strata est via ad malum hypochondriacum; quod tanquam morbus longus, primum levioribus semet exseruit molestiis, parvisque natum initiis, expectavit tantummodo potentiorē causam, qua ad e-dendos perniciosiores effectus incitaretur.

§. XIII.

Atque hanc constituit insigne frigus, quo æger sub itinere hyemali, eoque gelidissimo tempore instituto, percussus fuit. Quam pernitiōsa ejus est potentia in subiectis per omnia sanis; uti jam venerandus Medicinæ parens HIPPOCRATES *sect. V. §. 7. & 8.* atque CELSVS *L. II. cap. I.* annotarunt: tam infensa cum primis deprehenditur iis, qui spasmisimi ventris sunt obnoxii. Quum enim generatim corporis cutaneum constringendo corticem, humores propellit ad interiora: fit inde in hypochondriacis ut repulsi humores, dum ob abdominis spasmos ibidem commorari nequeunt, copiosius ad superiora, pectus

atque caput compellantur. Hinc noster ab itinere red-
dux faciem exhibuit sanguine turgidam, *brunoque ac ce-
rasino colore tinctam*: & hinc quoque astmaticus paroxys-
mus suam traxit originem. Namque dum succi copio-
sius iruerunt thoracem, pulmones, eorumque vasa, hæc-
que distenderunt: non modo nimio pulmonum infar-
ctu spirationem reddiderunt difficilem, verum ob disten-
sionem vasorum, pectoris constrictionem simul induxe-
runt, quæ ad caput una cum copiosiori sanguine dela-
ta, sensuum obnubilationem effecit. Sicut autem spas-
modicarum accessionum ea est indoles, ut per intervalla
remittant, deinceps iterum redeant: ita quoque in no-
stro factum est casu, eo magis cum continuati mentis
labores occasionalem dederint causam.

§. XIV.

Hoc in rerum statu, alvi obstructione flatuum que
retentione simul stipato, non abs re quidem fuit, clyste-
res nervinos & emollientes infundere, sed id censuram
meretur, quod haud præparato corpore Egranas aquas
frigidas & cum lacte permixtas potare debuit ægrotans.
Quum enim fontes medicati, maxime si cum lacte remix-
tæ fuerint, supponant primas vias a cruditatibus acidis
vacuas; hæ vero in hypochondriacis intra ventriculum
ac duodenum præsertim hospitentur intestinum: cly-
sterum certe injectio non sufficiens fuit illas e corpore
proscribendi; quippe quos ad coli duntaxat sic dictam
valvulam pertingere notum est. Restiterunt igitur for-
des in primis viis, quibus cum commixtum lac, eas
adauxit: ipsæ vero acidulæ frigidiores, viis excretoriis
nondum satis liberis, substituerunt, majorumque intesti-
norum pepererunt atoniam.

§. XV.

§. XV.

Post hæc recte egerunt Medici, quod congruis medicaminibus alvi libertatem, perspirationis & urinarum succëssum promovere allaboraverint: unde etiam obtinuerunt, ut symptomatum ferocia paululum remiserit. Sic enim hypochondriacum malum si recens fuerit felicissime cum succëssu profligare licet, si nimirum alvi libertas restituatur, flatus dissipentur, salutare excretionum promoveantur, sanguinis nimia moles imminuatur, atque tum debilitatæ partes convenienter roborentur. Et idem felix eventus in nostro procul dubio potuisset obtineri casu, si præter impetratam excretionum libertatem, vena in pede tusa, ac temperata roborantia fuissent adhibita, perque aliquot tempus continuata. Verum pessimo consilio ad usum Egrani fontis rursus confugerunt medici; hoc potissimum reliquias mali se extirpaturos rati. Non equidem negamus, quin hæ acidulæ in dicta sæpius passione hypochondriaca convenienter adhibitæ, illustrem obtineant virtutem: num vero congrua ratione in nostro casu usurpatæ fuerint, paucis jam dispiciemus.

§. XVI.

Aquas minerales magnum esse hypochondriacorum remedium; ut experientia docet, ita cum primis *Illustris PRAESES* passim in scriptis suis demonstravit. Sed quum divina sapientia varii generis, & variarum virtutum fontes creaverit: ipsum sufficientis rationis principium dictitat, suadetque nobis, ut pro differentia & hominum & morborum seligamus hunc vel illum fontem. Et sic ostendit *Excell. PRÆS. Med. Syst. Tom. IV. P. III. Sect. 1. Cap. VI. thes. ther. VI. hypochondriacis, qui laxi*

& spongiosi sunt habitus, spasmisque interiorum partium dire cruciantur, thermas convenire præ acidulis, aut has saltem tepidiores esse oportere: utrasque nec nimis diu, nec nimia quantitate potandas, & corpus probe præparandum esse. Quæ si ad præsentem adplicemus casum, animadvertimus potum Egrani fontis multis modis noxium esse debuisse. Namque 1) subjectum nostrum habitum corporis præ se tulit laxum & spongiosum, spasmisque & abdominis, & præcordiorum divexatum fuit: unde consultius fuisset, curam per thermas, maximeque Carolinas instituisse, vel, si hæ non arriserint, Egranas tepidiores exhibuisse. 2) Neque corpus rite præparatum fuit: licet enim excretionum alvinæ cutaneæque vias patulas liberasque reddiderint medici; sanguinis tamen molem, quam inprimis nostro ægrotanti infensam fuisse, ex supra dictis patebit, per convenientem haud imminuerunt venæsectionem. 3) Ipsa denique aquarum quantitas, quam æger ad quinque usque mensuras quotidie potavit, accusanda venit: quamvis enim in quibusdam affectibus ad tres vel quatuor quotidie mensuras impune & cum fructu bibantur; sufficiunt tamen in hypochondriaco malo mensuræ una vel duæ; confirmante *Illustri PRÆS. in Consultat. Med. Tom. II, Sect. III. Cas. XXXVIII, pag. 191. Cas. XLI, p. 201. LI, p. 243, &c.*

§. XVII.

Hinc illæ lacrymæ! & non mirum, quod tam infaustus illorum potum effectus in nostro exceperit ægrotante. Namque non modo major intestinorum, totiusque nervosi generis imbecillitas increvit, radicesque egit altiores: verum ipsam inde ventriculi ac intestinorum excoriationem subortam fuisse, multa sunt, quæ testan-

testantur momenta. Intellego per excoriationem tunice mucaginosa, quæ investit nerveam, & villosa audit, abrasionem: quam in nostro factam fuisse, docent filamenta, tunice villosæ similia per anum sub finem potationis excreta. Quod si in hujus mali causam proximius inquiram, eam minime ipsarum aquarum virtuti acriori & causticæ adscribendam esse puto, sed ita deduco: Dum aquæ, non sufficienter excretis omnibus impuritatibus, frigida sunt potæ: induxerunt externæ corporis peripheriæ constrictionem spasmodicam, principioque quod fovent, salino copiosius hausto plus justo intestinorum stimularunt tunicas; unde omnis subtiliorum, sulphureorum, ac serosorum impetus ac affluxus, violenter ad intestina conversus, & ab his tunica eorundem villosa arrosa fuit. Nec miraberis, hoc a potu frigidarum acidularum in intestinis contingere posse; si consideraveris, quod juxta observationem ab *Illustr. PRÆSID. Consult. Med. Tom. II. Sect. III. Cas. LXXXVIII. pag. 373.* allegatam, ex ejusdem fontis frigidi, nimia quantitate quotidie sumta, vesicæ urinæ insequuta fuerit excoriatio.

§. XVIII.

Sic excoriatis igitur ventriculo & intestinis, cur nova symptomatum cohors accesserit, explicatu est facilissimum. Tum enim vel levissima materia, quæ sive acrimonia, sive auctiori calore stimulare valet, protinus spasmodum intestinorum potuit excitare, dum immediatus ad nerveam tunicam patuit accessus. Hinc infusum herbæ Theebois nauseam inducere; hinc decocta calidiora vomitum movere; hinc quoque lenissimum laxans, quale est mammatum, tam violentum per superiora pariter ac inferiora edere potuerunt effectum. Et, quod summa

rei est, ex concursu tot, tantarumque causarum generari in nostro ægrotante debuit malum hypochondriacum inveteratum, cum excoriatione intestinorum stipatum. Hoc autem ejus est indolis, ut quidem ab omnibus symptomatibus nunquam immunia sinat esse corpora, graves tamen afflictiones intervalla exhibeant, & quietiora interdum ægris præstent tempora. Ejusmodi graves accessiones citius, vel tardius recurrunt, prout plus vel minus erroris in non naturalibus committitur rebus. Et sic in nostro præsertim casu partim refrigerationes, partim acriores meditationes, more ipsis suo, novum acerbiorum symptomatum recursum effecerunt, & adauxerunt.

§. XIX.

Quid vero fausti in tanto malorum symptomatumque confluxu ominari licet? Certe malum hypochondriacum inveteratum, uti generatim, ita præsertim illud, in quo animales simul læduntur actiones, permagnam curandi prælagit difficultatem. Et quid mirum? ubicunque & solidæ nervosæque partes a robore suo penitus dejectæ, & humores a naturali crasi recesserunt, circuituque irregulari moventur, & ipsa mens quoque læsa, atque ad mœrorem tristitiam, metum, diffidentiam proclivis existit: ibi certe arduum opus est, hæc omnia corrigendi. In nostro quidem casu facilis utique transitus est ad melancholiam hypochondriacam, adque soporosos & apoplecticos affectus. Sed abjicere prorsus animum non decet; maxime cum ea nondum adhibita legantur remedia, quæ debellando morbo satis fuissent opportuna: nec desperandum, quin iis rite patienterque usurpatis, æger ad bonam sit rediturus valetudinem.

§. XX.

§. XX.

Verum enim vero occurrit primum MONTANI, celebrioris Italorum Medici, monitum, quo chronico ejusmodi morbo detentis acclamat: *Fuge medicos & medicamenta, facileque convalesces.* Absurdum foret, dictum hoc de omnibus & medicis & medicamentis intelligere, & in medica artis opprobrium interpretari velle: sed monet duntaxat optimus ille auctor, ne ægri longis morbis occupati more ipsis sueto, nimia varietate & Medicorum & medicaminum delectentur; atque ab iis prorsus abstineant remediis, quæ activiora, & spirituosiora sunt, quæ que sub specioso generosorum titulo iis vulgo opponi solent ægritudinibus. Certe horum usus tantum abest, ut solatium præstet hypochondriacis, ut potius malum inde reddatur atrocius, & profundiores radices agat. Omnes curandi scopi in nostro casu eo sunt dirigendi, ut 1) omnes, quæ adhuc in corpore testiterint fordes, per convenientes vias eliminentur, 2) intestinorum labes resarciatur, eaque ad elaborandum generosius chylum apte reddantur, ac denique 3) totum nervosarum partium systema corroboretur. Et omnes quidem hi fines magis diæteticis, quam pharmaceuticis, & ex his quidem levioribus duntaxat, atque naturæ amicis obtineri poterunt.

§. XXI.

Inchoandum igitur a recta diætæ præscriptione; sine cujus curatori observatione speratum nunquam obtinere licebit effectum. Qua propter ante omnia dispiciendum, an locus, in quo degit illustris æger, aëre fruatur humido, nebulosoque: quo in casu is relinquendus, & alius puriori, ac temperatiori aëre præditus erit

feligendus. Frigus eo magis fugiendum, quo certius ac gravius exinde damnum observat ægrotus; maxime autem pedes, abdomen, & dorsum circa initia vertebrarum lumbarium omni studio a quocunque frigore munire debet. Ex cibis cane pejus & angue vitare juvabit omnes, qui coctu sunt difficiliiores, crudum chylum, viscidasque generant fordes: quippe quorum dissolutioni debilis ventriculus minus est sufficiens. Hos inter locum occupant acetaria, carnes fumo induratae, salitæ, pisces marini fructus horrei, leguminosi, panificia, omneque placentarum genus &c. Contra vero commendationem merentur carnes molliores ac teneriores, vitulinæ, agninæ, pullorum & gallinarum, ac ex his parata jufcula: quæ eo illustriori, simulque medicinali pollent virtute, si cum herbis & radicibus medicatis, ut radice apii, scorzonæ, perroselini, asparagi, herba nasturtii, chærefolii, spinachiæ aliisque alterentur. Præterea cœnam semper prandio parciolem esse; nec sub prandio gulæ nimium indulgere oportet: siquidem moderamen adpetitus pro egregio morborum chronicorum remedio, veteres jam agnoverunt Medici.

§. XXII.

Maximum autem curationis momentum a recto potus genere dependet; & eo erit utilius, tale in præsentî casu feligere, quod ægro conveniat, nec tædium moveat; quo magis illius ventriculus infusa, decocta, cerevîsias, omneque vinum respuere dicitur. Quid ergo restat? Certi quid determinare haut licet; quicquid enim huic utile, alteri noxium deprehenditur. Id extra dubium est positum, omnes cerevîsias hypochondriacis esse infensas. Ergo tentandum, num infirmitas ventriculi

culi permiserit sero lactis dulci in potus ordinari vicem
uti: si tulerit concedendum illud, summo opereque suaden-
dum. Si non tulerit, substituendæ acidulæ Selteranæ
refracta & vix tertia vini generosi, maximeque Mosella-
ni parte permixtæ; vel decocta ex radice scorzonæ,
cichorei, chinæ, sarlaparillæ, glyzirrhizæ, rasuræ cor-
nu cervi, & corticibus citri vel aurantiorum recentibus
parata. Sed nonne hæc movebunt vomitum? Minime;
si nimirum justo tepore prædita, & corticibus dictis robo-
rante imbuta virtute fuerint. Nec inducent nauseam in-
fusa theiformia, si ex herbæ melissæ, nervoso generi ad-
modum amica, veronicæ, radice liquiritiæ, corticibus-
que recentis citri conficiantur, & exoticæ eique adstrin-
genti herbæ Thee-bois substituantur, nec justo calidio-
ra forbillentur. Ex vinis nostro ægrotanti utilissimum
erit bonæ notæ Burgundiacum, sub epulis parca quanti-
tate capiendum: neque enim, si accesserit recta medi-
catio, humores commovebit, nec exæstuabit.

§. XXIII.

Tum ad animi tranquillitatem, corporisque motum
est respiciendum: siquidem si ægrotans noster a suo li-
berari cupiat malo, necesse est, ut a meditationibus & lu-
cubrationibus per aliquod tempus plane abstineat, dein-
ceps vero, redeunte paululum vigore, temperate ipsis
indulgeat. Ipse enim sensit, a mentis intentiori labo-
re atrocissimos statim revocari paroxysmos. Et hoc
quidem scopo non præstantius habetur consilium, quam
cœli mutatio: ut scilicet persuadeatur vir illustris, quo-
rus petat, ibidemque grata & jucunda sibi seligat confor-
tia, & ab omnibus curis, negotiis & occupationibus ca-
veat. Quod autem præstantissimum est; non negligat

corporis moderatum exercitium, quippe quo ad roborandum partium solidarum tonum nihil unquam est efficacius. Motus corporis, ut profit, est instituendus 1) sub tempestate serena, ne frigus ejus destruat utilitatem, 2) moderate & per gradus, ad lenem usque sudoris eruptionem: ne exæstuentur humores; 3) optime fit per obambulationem, & lenem equitationem, de qua ORIBASIVS *Lib. IV. cap. 24. equitatio, inquit, magis quam omnes reliquæ exercitationes corpus præservat, stomachum confirmat, & sensuum organa purgat, eaque reddit acutiora.* 4) Commodissime celebratur vel matutinis vel vespertinis horis, aut, quod idem est, vel ante ciborum assumptionem, vel post peractam eorundem concoctionem: qui enim statim a pastu corpus exercuerit, maxime vehendo, vel equitando; illi flatulentæ exacerbantur molestiæ. Quo de argumento egregie scribit SANCTORIVS *tr. de motu & quiete §. 72. dum ait: exercitium post septimam usque ad duodecimam horam ab assumpto cibo, magis resolvit insensibiliter unius horæ spatio, quam tribus temporibus alterius spaii.*

§. XXIV.

Quibus præmissis, transibimus ad recensenda ea subsidia, quæ indicationibus §. XIX. expositis facient satis. Et hæc inter juxta primam indicationem ad alvi conservandam libertatem, perque eam eliminandas crassiores fordes, curandi nervus est dirigendus. Purgantia, & fortius alvum ducentia hoc in casu veneni instar se habere; quilibet vel paululum in arte medica versatus facile cognoscet. Restant ergo lenissima laxantia; quibus *Illustris PRÆSES* non præstantius unquam deprehendit manna, si in aqua quadam destillata solvatur, eique

que rhabarbarum, & roborandi fine una alteraque olei de cedro guttula addatur. Et licet tale laxans ægro dicatur vehementius alvum movere: tentandum est, num in dicta formula, refractori quantitate, & præmissis clysteribus, qui flatus deorsum alliciunt, effectum placidiorem sit editura. Ipsi quoque clysteres ad repurganda crassa potissimum intestina sua non carent laude. Nec contemnendi usus sunt pilulæ balsamicæ, ad ductum *Exc. PRÆS.* concinnatæ, quæ parca dosi, numero quindecim mane exhibeantur, data per præcedentem vesperam vel salis aperitivi *Exc. PRÆS.* drachma dimidia, vel si pilulæ orgasmum humorum incitare videantur, tantundem pulveris præcipitantis. Hæc laxantia, exigente rei necessitate, quovis quinto vel octavo die propinare; reliquo tempore per dietam lubricam alvum solvere expediet; quo fine passulæ rhabarbarinæ, pruna laxativa, poma Borsdorffienfia cum passulis Corinthiacis decocta commendari merentur. Si acidæ sordes in primis viis hospitentur, sola magnesia alba, vel cancerorum lapides, operæ facient pretium; & ob terram alcalinam cum acido ventriculi congregientem, sal medium constituendo, ducent alvum. Ad hæc eliminandis per cutis poros subtilioribus recrementis, & perspirationi promovendæ adprime intervenient infusa theiformia, maxime mane hausta, si paulo post, motus instituat corporis.

§. XXV.

Præterea opus est, ut eæ acidæ cruditates, quibus primæ obsidentur regiones, attemperentur, ne vellicante sua vi spasms novum præbeant fomitem. Quo quidem scopo pulveres temperantes, simulque nervini ma-

gnam merentur laudem, veluti est, qui ex oculis cancro-
rum, cornu cervi sine igne, antimonii diaphoretici, pul-
veris marchionum, succini præparati ana duabus drach-
mis, nitri drachmis una, & extracti castorei scrupulo uno
conficitur, & ex aqua analeptica ceraforum vel chamæ-
meli matutino exhiberi potest tempore. Hujus virtus
adprime quoque conveniet sanguinis, quibus æger in-
festatur, ebullitionibus; nec levem in sopiendis dolo-
ribus præstabit operam. Et hac quidem intentione ad
sopiendos nimirum spasmodicos, si effrænes fuerint mo-
tus, blanda sua relaxante vi omnibus palmam eripit li-
quor anodynus mineralis *illustris* PRÆSIDIS; quem
pondere viginti guttarum cum binis scrupulis descripti
pulveris vel mane, vel etiam, exigente necessitate, ves-
peri simul summo cum fructu propinare licebit.

XXVI.

Hæc dum fiunt, juxta secundæ indicationis teno-
rem ventriculo & intestinis naturale robur est instauran-
dum, ut integra fiat vis digestiva, bonusque generetur
clylus. Quibus votis ea satisficient, quæ subtili, balsa-
mico, & amaricante gaudent principio, veluti sunt ex-
tract. card. bened. fumar. centaur. min. absynth. rhabarb.
cascarill. millefol. chamom. Rom. myrrh. cort. citri,
aurantiorum, & id genus plura: quæ in Elixirium redi-
gi, & loco spirituosi alcalino & aquoso solvi possunt
menstruo. Instar omnium eo nomine est elixir viscera-
le balsamicum *Illustris* PRÆSID: cui etiam sequens po-
terit substitui: Recipe extracti cardui benedicti, gentia-
næ rubræ, myrrhæ electæ, succini ana drachmas duas
salis tartari drachmas tres, olei de Cedro guttas viginti.
M. & cum vino Hungarico leni calore digerantur. Id
genus

genus remedii ad guttas octoginta brevi ante prandium, nec non hora quarta pomeridiana datum, excellentissima pollet virtute, acidum in primis viis infringendi, humorum orgasmum consopendi, & amissum intestinorum tonum egregie roborandi.

§. XXVII.

His subsidiis procul omni dubio multum detrahetur mali vehementiæ: ut vero illud radicitus extirpetur, superest, ut nimia humorum moles convenienter imminuatur, minima vascula ab obstructionibus referentur, & totum corroboretur nervorum genus. Priori scopo accomodatæ sunt venæsectiones, ter ad minimum quotannis in pede celebrandæ. Ante harum usum per aliquot dies utendum erit pediluviiis, quæ spasmos totius corporis relaxandi, & humores ad cutaneum corticem invitandi, præstantem possident vim, ne autem exæstuent sanguinem, ea oportet esse tepidiora. Eo quoque, quo vena secatur tempore, in primis ab aere frigidiori, & cibis durioribus cavendum, ne ab illo lædatur transpiratio, & catharralis inducantur morbi, ab his nimium oneretur imbecillis ventriculus. Alterum scopum optime explent aquæ minerales, e quibus nostro ægrotanti vel thermas Epsomenses, vel acidulas Egranas sed tepescitas commendamus. Harum mensura una cum dimidia singulo mane potari; eique potationi præmitti pariter ac interponi debet lene laxans mannatum, semperque conjungi usus Elixirii visceralis. Quæ curatione ad aliquot hebdomades protracta, ad implendam tertiam indicationem suademus externum usum balneorum vel Tœplicesium, vel Lauchstadiensium: interne commendamus martialia, sub sufficienti corporis motu vel in liquida

da forma, velut est tinctura martis tartarifata Zwvefferi aut Ludovici, vel in pulvere offerenda, tumque cum cortice cascarillæ vel chinæ commiscenda: qualis pulvillus hic esse poterit: Recipe croci martis tenuissimi unciam semis, lapidum cancrorum, arcani duplicati ana drachmam unam, nitri depurati, corticis cascarillæ ana drachmas binas, olei de cedro, corticum aurant. ana guttas VIII. M. F: pulvis, cujus drachma mane vel vespere capiatur.

§. XXVIII.

Denique ex topicis ad infringendam dolorum spasmodicorum atrociam haud alienum fore putamus, emplastrum quoddam nervinum temporibus, dorso ac hypochondriis imponere; cujus talis esse poterit formula: Recipe olei nucis moschatæ expressi, axungię humanæ ana unciam semis, ceræ albæ unciam unam, resinæ storacis, thymiam. ana drachmam unam, balsami Peruviani drachmas duas, olei lavendulæ guttas viginti. M. F. emplastrum. Et hæc sunt, quæ de præsentis casus causis ac curandi ratione proponenda putavi: quæ ut benevolus Lector æqui bonique consolatur, rogo.

F I N I S.

